

EPISTOLA



INSIGNI PIETATE, NO-

BILITATE, ET DOCTRINA ORNA-

TISS. V. D. ODOARDO BISETO, D.

de Charlay, D. suo plurimum ob-
seruando

AEmilius Portus Francisci Porti Cretenfis F. S. P.



VM propter facinus ab illis ausum (nobilissime Vir) qui turris Babylonice fastigium ad ipsos vsque cœlorum vertices moliri statuerant, vt sui conatus, & audaciæ vix credendæ monumentum posteritati relinquerent, tanta linguarum varietas olim sit orta, quarum cognitio generis humani societatem fouet, ac tuetur, nullus sana mente præditus homines harum discendarum studiosos iure damnarit. Sed vt cæteras quarum maximus est vsus, silentio præteream, de Græca tantum verba faciam. Quis rerum adeo est imperitus, quin hanc omnium scientiarum quasi matrem quandam esse fateatur? Quamuis autem linguæ Græcæ plurimos, optimosque scriptores esse constet, quos magna cum laude possumus imitari, si quis tamen Aristophanem, vt eximium Attici lepôris exemplar, cæteris anteponat, à veritatis scopo fortasse non aberrarit. Facundiam enim, & in dicendo suauitatem incredibilem habet. Hęc in multorum animis ingens huius authoris studium excitarunt. Hęc Aristophani multos amatores conciliarunt. Hęc Iohannem illum Antiochenum, summorum Theologorum lumen, qui propter aureum eloquentiæ flumen, Chrysofomi cognomen obtinuit, ad huius poetæ quotidianam lectionem impulerunt, ex qua maximam tum facundiæ, tum vehementiæ suæ partem in corripendis vitiis hausisse fertur. Vt Alexander Homeri poema, sic etiam præstâtissimus iste Theologus Aristophanem puluillo subdere solebat, quæ admodum à viris fide dignis memoriæ proditum. Quare nihil præter pietatem ab illis factum videtur, qui nunc, vt iuuentutem Græcarum literarum studiosam iuarent, eique ad Atticæ eloquentiæ intelligentiam, ac notitiam aditum faciliorem patefacerent, amplissimam grauissimorum errorum in hoc authore per vetustatis inuidiam, & hominum incuriam natorum segetem pro viribus purgare, & obscurissimos quosque locos dilucidius explicare sunt conati. Huius tamen poetæ scripta, vt suauissimas, rosas spinis acutissimis circumseptas, prudenter legere debemus.

Quic-